VIRI

Magnifici, Summe Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi,
DOMINE DECANE SENIOR,

Reliqui Venerandae Facultatis THEOLOGICAE DOCTORES
ac PROFESSORES

PATRES in Christo suavissimi, Dilectissimi

PATRONI Spectatissimi gravissimi.

Dabitis veniam, VENERANDI PATRES, turbanti vestros circulos, et quae publico debentur tempora, Ecclesiae ipsius et Academiae colendae augendae ornandae, breviter hisce literis perlegendis ut impendatis, qua fas est submissione et reverentia petenti. Non enim verni-tate commotus has oculis vestris subjicio; sed necessitate adactus. Sciti et visum est Supremo rerum Moderatori, pro inexhausta benevolentiae ubertate, qua me indignum prorsus & nihil tale merentem nunc per LXI, et quod excurrit, annos, amplectitur, et felicis mei tandem habere rationem, et eidem occasionem plane inexspectatam commonstrare inserviendi Ecclesiae quae Calbae ad Mildam in Palaeo-Marchia Christo colligitur, cui Diaconatus non ita pridem vacuefactus est.